Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 411
Quelle:
Copyright:

Fons et origo boni deus orbis conditor alto
Consilio uoluit hominis reparare ruinam,
Qui quia transierat in ius uictoris iniqui
Venditus et uictus peccati merce, decebat,
Ut tali precio, quali fuit ante reatum
Primus homo, redimi deberet; at hostia talis
Non fuit in massa peccati mole grauata.
Pro nobis igitur altissimus hostia digna
Dignatus fieri contraxit spirituale
Conjugium iunctis una sub carne duobus &c.

Natura videlicet divina et humana. Paraphrasis demum ipsa, vel si mavis, Commentarius ita incipit: *Osculetur me osculo oris sui.*

Oscula queso sui mihi sponsus porrigat oris!
Vtque duo iuncti se pacis ad oscula nectunt,
Sic persona duas naturas uniat una,
Audiat et uocem sponse presensque loquatur
Sponsus ad os ore dilecte uerba salutis,
Ac unitus homo uerbo ferat oscula grata &c.

Particulae Textus semper minio praemittuntur. In C. ult. v. penult. abrumpitur Tractatio hoc versu:

Nunc auster perflat ueniens aquilone repulso.

Itaque parum deest ad finem, quod utinam ex alio Codice, quem sibi fors alicubi Fortuna libraria conditum servat, subpleri possit!

CXLVIII. VII D 10

248 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 46. f. inscribitur: *Amorum Solomonis, Vulgo Cantica Canticorum Liber, in quo statum regni sui temporis describit. Ad Inviciss. et Potentiss. Imperatorem Divum Maximilianum II. Autore Paulo Sibero ab Ericis Poeta L. Anno Christi* M. D. LXVI. Praeit ad *Maximilianum* Elegia bene longa hoc initio:

Vnde sit imperium, rebus quæ cura gerendis,
Iustaque magnanimi Caesaris arma canam. &c.

Ex